

Bessarions Instruktion für die Kreuzzugspredigt in Venedig (1463).

Von L. Mohler.

Das nachfolgende, bisher noch ungedruckte Dokument, Bessarions *Instructio pro predicatoribus per eum deputatis ad predicandum crucem* vom 24. August 1463 findet sich in einem Sammelband von Aktenstücken dieses Kardinals im Vatikanischen Archiv Arm. XXIX. 31 fol. 19—23.

Der geschichtliche Hintergrund ist mit wenigen Worten gekennzeichnet. Seit der Eroberung Konstantinopels war die türkische Macht in stetem Wachsen begriffen. Alle Versuche zu einem Gegenunternehmen, wie der Kongreß Pius' II. zu Mantua (1459) und Bessarions Legationsreise nach Deutschland (1460/61) hatten keinen Erfolg gezeitigt. Der Umschwung in der Republik Venedig, die durch ein kriegerisches Eingreifen ihre Belange im byzantinischen Osten zu wahren gedachte, ließ Pius II. auf ein größeres Kreuzzugunternehmen hoffen. Auf einem Kongreß zu Rom (22. September 1463) verhandelte er mit den Gesandten der italienischen Mächte, die sich aber gegen eine Teilnahme an dem venezianischen Unternehmen sträubten. Trotzdem ließ der Papst einen Kreuzzug verkünden und bevollmächtigte den Kardinal Bessarion als apostolischen Legaten mit dessen Predigt. Der Ausgang war eine bittere Enttäuschung. Pius II., der sich selber an die Spitze des Zuges stellen wollte, starb zu Ancona im Anblick der venezianischen Kreuzzugsflotte, die gerade im Hafen eingelaufen war. Damit zerrann das ganze Unternehmen.

Bessarions Instruktion verkündet zunächst die Vollmachten der Kreuzzugsprediger. Sie können gegen solche einschreiten, die ihre Predigt zu verhindern suchen. Ferner können sie andere Prediger

aufstellen. Allen, die die Predigt hören, werden 100 Tage Ablaß gewährt. Ihre Predigt soll auffordern zur Teilnahme am Kreuzzug oder zur Stellung eines Kriegers oder zur Leistung einer Beisteuer.

Dann folgen Anweisungen über die Art der Predigt, deren Gründe auseinandergesetzt werden (zur Sühne für das seitens der Türken erlittene Unrecht, zur Hilfeleistung für die unterjochten Christen und zur eigenen Verteidigung). Stoff und Beweggründe werden im einzelnen angegeben. Dazu werden Prozessionen und Gebete angeordnet.

Den Kreuzfahrern wird für ihre Teilnahme von mindestens sechs Monaten ein vollkommener Ablaß versprochen wie bei einem Unternehmen für das heilige Land oder im Jubiläumsjahr. Ebenso für alle, die andere ausrüsten. Klöster können den Ablaß erlangen, wenn sie für je 10 ihrer Mitglieder einen Krieger ausrüsten. Alle anderen Ablässe für Venedig sind in der ganzen Zeit der Predigt aufgehoben. Den Teilnehmern wird für ihre Angehörigen und Güter der Schutz des Papstes versprochen.

Weiter gibt der Kardinallegat Anordnungen betreffs der Vollmachten der Beichtväter, über die Handhabung päpstlicher Reserverate, Kommutation von Gelübden wie von Strafen für Verbrecher.

Zum Schluß folgt die Formel für die Ablaßbriefe und die Liste der bevollmächtigten Prediger.

Fol. 19. Instructio reverendissimi in Christo patris et domini, domini episcopi Thusculani, sancte Romane ecclesie cardinalis ac patriarche Constantinopolitani, apostolice sedis legati pro predicatoribus per eum deputatis ad predicandam crucem in inclita civitate et dominio Venetorum anno domini 1463, 24. augusti.

Quod nullus audeat impedire predicatoris crucis.

In primis statuit idem reverendissimus dominus legatus, quod si quis, quod absit, predicatoris ad predicandam crucem deputatos aut per eos eligendos et deputandos impediverit, quicumque sint et quacunque dignitate prefulgeant, habeant ipsi predicatoris ac per eos substituendi plenariam apostolica auctoritate facultatem comprimendi eos et compellendi censuris ecclesiasticis et aliis iuris remediis, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Quod possint eligere alios predicatoris.

Item, quod possint iidem predicatoris alios predicatoris eligere et deputare et eos, si opus fuerit, quodsi illi forte recusaverint, per easdem censuras compellere ad predicationem crucis faciendam.

De indulgentia danda per predicatores.

Item, quod iidem predicatores habeant facultatem quibuscunque christifidelibus ad audiendam predicationem confluentibus penitentibus et confessis pro qualibet vice centum dies de iniunctis eis penitentiis auctoritate apostolica relaxandi.

De tempore et modo predicandi.

Item, quod iidem predicatores omnibus diebus festis et aliis, quibus videbitur, predicent in locis sibi deputatis et hortentur populum per viscera misericordie Domini nostri Iesu Christi ad christiani populi et fidei nostre defensionem et ad proficiscendum personaliter contra inimicos crucis pro his, qui possunt, si qui vero non possunt, ad mittendum vel saltem pro facultatibus suis contribuendum.

Item, quod hortentur fideles ad sumendum supra se signum sacratissime crucis. Quod signum sumitur primo ad excitandam spem victorie, cum ipsa sit signum efficacissimum salutis, in quo salvata sunt primogenita populi israhelitici ab angelo percutiente primogenita Egipti, et in quo Christus Dominus et legifer noster operatus est salutem in medio terre, et in quo antiquum illum hostem expugnavit, secundo ad incitandum in nobis ardorem, et hoc tam ex debito gratitudinis quam ex spe retributionis, ut scilicet crucem aspicientes recordemur nos pro eo subire pericula, qui pro nobis non dubitavit ignominiosissimam crucis mortem perferre. Recordemur etiam nos pro illius iniuriis vindicandis labores subire, qui in cruce pendens latronem pro eo zelantem et convincientem sibi conlatronem acerbius coarguentem in paradisum introduxit.

Assignent causas predicationis, que sunt tres principaliter. Una ad vindicandum tot ineffabiles contumelias per tot nephandas iniurias per Turchos illatas Christo Deo, sanctis suis, sanctorum reliquiis, templis et imaginibus sacris ac fratribus christianis. Alia ad subveniendum innumerabili populo christiano per Turchos gravissime oppresso et in turpissima servitute redacto. Tertia ad defendendum nosmetipsos, ne hoc, quod nobis restat, ad manus Turchorum perveniat.

fol. 19v.

Circa primam causam commemorent ipsi predicatores in captione ipsius Constantinopolis et postea tot insularum, civitatum et terrarum viros crudelissime cesos, matronas stupratas, virgines raptas, sanctimoniales fedatas, adolescentes immaniter trucidatos, infantes inter ubera ad brachia matrum gladio confixos, matronas pregnantes ferro transfixas. Item templa illa sacratissima et ornatissima infandis spurcitiis polluta, altaria profanata, statuas sanctorum in frusta disiectas. Imagines sanctorum luto et stercore deturpatas. Vestibus Deo sacratis, quibus altaria sacraque misteria tegebantur, in obprobrium Dei et sanctorum canes tectos atque ornatos. Item quod supra imaginem venerandissimam beate Marie Virginis, quam totus ille Constantinopolitanus populus pre ceteris omnibus summa

cum religione venerabatur, evulso prius auro et argento et lapidibus pretiosis scelerati illi carnifices diu carnes inciderunt et tandem pedibus conculcatam securique divisam combusserunt. Imagines autem Salvatoris in costadibus templi depictas, quos de longinquo manibus et stercore fedare non poterant, sagittis appetebant procaciter insultantes et dicentes: videamus, si Deus christianorum sciat nec(ne) se eripere de manibus nostris.

Postea conari debent omni indignationis ac vindicte ardore populum commovere, si in nos ipsos quisquam contumeliaretur dicendo nos fures aut mendaces aut falsarios, vix possemus continere nos, quin statim ad vindictam consurgeremus. Item si in parentes nostros aut propinquos etiam vita functos aliquid ignominiosum diceretur, statim ultionis ardore inflammaremur. Si ergo adeo prompti et parati sumus ad ulciscendum adeo parvas et verbis tantum in nos et nostros factas iniurias, quomodo non erubescit christianus sanguis tot blasphemias, tot contumelias atque iniurias Deo Creatori atque Salvatori suo illatas tolerare. Quomodo audebit talis in conspectu Dei et sanctorum suorum comparere, quando ei dicet Dominus: Tuas iniurias diligentissime vindicasti, meas contempsisti. Cum enim iuxta leges seculares non est dignus hereditate patris, qui mortem patris non ulciscitur, qua fronte partem petis in hereditate sanctorum in hereditate mea, qui tot iniurias, tot blasphemias meo nomini sanctisque meis illatas vindicare contempsisti?

Item ostendenda est eis terribilis punitio eorum, qui vindictas huiusmodi sumere omiserunt. Sauli enim, quod Agaz regi, qui populum Domini gravissime afflixerat, pepercit, divino iudicio regimen abrogatum est, et ipsi Egoagab, quod Benedab regem Sirie vivum abire permiserat, dictum est a Domino, quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius.

Circa secundam causam commendandum est, quot millia christianorum in captivitate sunt et in servitute turpissima, quam sit eis compatiendum. Misericordes esse nos debere. Regnum enim celorum misericordie retribuere et pro operibus misericordie non exhibitis damnationis sententiam ferri. Inaniter misericordiam a Deo expectare eos, qui hanc non exhibeant proximo. Beatos autem esse misericordes, quia ipsi misericordiam consequantur.

Circa tertiam causam de necessitate ostendatur Turchum non contentum paratis omni studio instare ad subigendum totum orbem terrarum et in primis Italiam. Omnem dilationem pessimam esse, quia ille cotidie acquirit sibi unum regnum et potentior fit. Nos unum regnum amittimus et efficiemus debiliores.] Ideo ubi non moveret amor religionis et calamitas, moveat nos patria nostra, domus nostre, liberi, parentes, uxores.

Quod domini Veneti arma, que in Turchos sumpserunt, continuare debent usque ad ultimam interemptionem hostium, quia celesti favore potentissimi sunt christianorum omnium et digni, quorum exemplo ceteri moveantur. Preterea loca eorum Turchis esse viciniora, et hoc (debeant) laudare et commendare ample et dominium et populum devotione sua.

Item, quod hi, qui hucusque male vixerunt, qui se cedibus, furtis, rapinis, incendiis ac omni genere scelerum involverunt, occasionem nunc habent sic bellandi, ut non modo horum delictorum nullam poenam incurrant, verum etiam pleniorum remissionem omnium suorum peccatorum consequantur et vitam eternam, ut inferius patebit.

Hoc loco commendanda est elemosina quibuscunque pauperibus facienda ex auctoritatibus sacre scripture, dein per comparisonem ostendendum, quanto hec sit maior elemosina, pro fide erogare, allegare passionem martirum, et quod Christus pro nobis sustinuit mortem, sancti pro fide eius mortui sunt. Libenter ostendere etiam, quod non solum pro fide, sed etiam pro liberatione multi sanctorum exposuerunt se morti. Haberi possunt exempla ex libro iudicum. Non modo sancti, sed etiam gentiles pro patria mori voluerunt, non modo viri, sed etiam mulieres et omnia bona sua et aurum et argentum et omnem ornatum suum pro patria exposuerunt et tandem se ipsas morti devovere. Quod hec etiam sine spe resurrectionis fecerunt, quanto magis nos christiani, quo magis nos hoc facere debemus, quia et maiora nostra sunt pericula et premia potiora.

Ne autem difficultate rei homines terreantur, suadenda est possibilitas belli et spes victorie, dicendum, quod Deus permittit ecclesiam suam et populos suos propter peccata aliquando variis tribulationibus agitari. Non tamen deserit nos, sed tandem assistit populo suo. Debiles tandem futuras christianis vires. Turchorum prodest allegari clades, quam cum parvo numero hominum intulit Turchis Ladislaus rex Polonie et quam ceperunt Turchi in Belgrado a paucis cruce signatis.

Ex quibus omnibus adhortandi sunt christiani omnes, ut ad defensionem fidei incumbant et in ultionem christiani sanguinis assurgant et, qui apti sunt, crucem assumant et militie Christi se devoteant. Qui autem ad hoc non sunt apti viri, femine, seculares et ecclesiastici, religiosi et non religiosi, ut in negotio fidei in tam pia causa ac tam necessaria cooperentur et concurrant pro viribus suis ac alios pro se mittant aut alii contribuant aut subveniant.

Quod possint predicatorum affigere crucem.

Item possint iidem predicatorum omnibus et singulis crucem supra se devote suscipere volentibus signum salutiferum crucis supra humeros affigere ubique locorum, preterquam in civitate Venetiarum, vel ubi personaliter reverendissimus dominus legatus interfuerit, que loca sibi specialiter reservavit. Debent

tamen prius salutare admonitiones atque exhortationes facere, ut cum debita reverentia tam gloriosum signum suscipiant illudque contra nepharios conatus Turchorum cordibus suis firmiter imprimant et negotium ipsum magnis et ardentissimis animis prosequantur.

De modo affigendi signum crucis.

Item modus huiusmodi affigendi signum, qui in omnibus civitatibus, diocesibus atque locis sit conformis et quam celerime expediri possit, sit talis, videlicet facto signo ex serico vel panno rubeo, signum ipsum cum acu in pectore affigant, quod suscipientes postea consuere poterunt atque firmare. *Fol. 20v.* Affigens vero dicat hanc orationem :

Oratio. Pretende, quesumus domine, famulis tuis dexteram celestis auxillii, quos pro gloria tui nominis signo sacratissime crucis insignitos propugnatores fidei tue populique fidelis contra perfidos Turchos esse voluisti. Per Dominum nostrum Jhesum etc. Dominus vobiscum. Benedicamus domino etc.

De indulgentia plenaria cruce signatorum et aliorum.

Item annuntient omnibus et singulis cuiuscunque gradus, status, conditionis aut ordinis, qui in tanta fidei necessitate in exercitu christifidelium contra Turchos propriis personis et expensis intererint et per octo vel sex menses perseveraverint, sive clerici sive laici vel quacunque ecclesiastica seu mundana dignitate prefulgeant, auctoritate omnipotentis Dei et sanctissimi domini nostri pape ac de plenitudine potestatis celitus ei concessa plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem et veniam, qualis in subsidium terre sancte proficiscentibus et in anno iubilaei basilicas visitantibus dari consuevit, et in retributionem iustorum augmentum salutis polliceantur, confidentes omnium, quos ad hoc sanctum opus proficisci contigerit, vel etiam eorum, qui in itinere ante tempus octo vel sex mensium in bello forte obierint, animas sanctorum angelorum consortio in celestibus collocandas et consortes Christi factas perpetuo in eterna felicitate mansuras.

Item his, qui commode personaliter interesse nequiverint et alium vel alios suis expensis secundum suarum facultatum vires destinaverint, qui vice sua in bellum saltem pro sex mensibus vel octo proficiscantur, tam ipsis quam euntibus alienis expensis, si pauperes fuerint et impotentes ad ferendos necessarios sumptus, plenam eis adnuntient dicta auctoritate veniam peccatorum et dictos aliorum nomine euntes necnon etiam mittentes, si forte devotionis causa illud sumere voluerint, signo sanctissimo crucis signare possint.

Item, si forte ante tempus octo vel sex mensium negotium huiusmodi debitum finem sortiri contingeret, pro tempore, quo contra Turchos pugnaverint, etiam si sex mensibus brevius

fuerit, perinde ac si totis octo mensibus interfuissent, plenariam indulgentiam annuntient.

Item omnibus et singulis cum dominis suis sive capitaneis in dicto exercitu proficiscentibus similem indulgentiam annuntient.

Item, ut omnis etatis, sexus et cuiuslibet professionis homines huius sancte indulgentie participes esse possint, quaecunque cenobia seu religiosa loca marium vel feminarum cuiuscunque ordinis vel professionis existant, (si) pro singulis decem suppeditis claustrum unum bellatorem destinaverint et sumptus necessarios pro eodem tempore ministraverint, eis omnibus eandem indulgentiam annuntietis.

De revocatione indulgentiarum.

Item omnes et singuli predicatorum et eligendi supradicti in predicationibus suis publice annuntient indulgentias a sede apostolica, a summis pontificibus vel eorum auctoritate hactenus concessas, pro utilitate huius sancte expeditionis fuisse et esse suspensas per totum inclitum dominium Venetorum et alibi, exceptis indulgentiis in festo ascensionis ecclesie Sancti Marci et Sancti Iob Venetiarum et earum personarum, que tempore Nicolai quinti aut Calisti tertii occasione cruciate eas obtinuissent, et etiam eorum, qui signo salutifere crucis assumpto se ipsos pro defensione fidei devoverunt.

fol. 21.

De aliis indulgentiis per predicatorum concedendis.

Item facultatem habeant iidem predicatorum omnibus et singulis, qui ad huiusmodi opus subsidia prestabunt et ad eius prosecutionem quomodolibet opera sua impendent, similiter qui singulis diebus orationes et aliquando ieiunia ad Deum pro victoria populi christiani porrigent, iuxta quantitatem laboris et subsidiorum, quotiescunque id fecerint, triginta aut sexaginta aut centum dierum indulgentiam concedendi.

De protectione pape pro cruce signatis.

Item denuntient iidem predicatorum omnibus et singulis cruce signandis et in expeditionem ire volentibus, quod sanctissimus dominus noster papa eos et eorum quemlibet ac ipsorum familias et bona post arreptum iter sub sua et beati Petri protectione exnunc prout extunc suscepit, eosque ac familias et bona predicta habeat in Domino commendatos.

De indulgentiis pro pauperibus.

Item facultatem habeant omnibus et singulis, cuiuscunque gradus, conditionis et sexus existant, qui non personaliter ire neque alium propter inopiam commode mittere poterunt, si medietatem aut tertiam vel saltem quartam, ad minus quintam partem expensarum unius militis solverint, similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam concedendi.

De capsâ deputanda.

Item teneantur predicti predicatorum et per eos eligendi in singulis civitatibus seu oppidis vel saltem, ubi eis commode videbitur, deputare unam capsam in ecclesia matrice ipsius civitatis vel oppidi sufficientem et securam, in qua omnes dicte pecunie vel ex elemosinis vel alia quacunque largitione fidelium ponantur et conserventur et similiter pecunie eorum, qui vice sua unum vel plures homines suis expensis mittere voluerint, si eis placuerit potius pecuniam solvere quam homines reperire. Que capse tres diversas habeant claves, ita ut una illarum deficiente aperiri nullatenus possint. Quarum unam teneat ordinarius loci vel eius vicarius, alteram rector terre, tertiam ipse predicator.

Item similiter teneantur arma, pannos et res alias, que pia largitione fidelium offerentur, secure et diligenter custodire.

De processionibus, litiis et orationibus faciendis.

Item predicatorum in predicationibus suis auctoritate predicta et pro parte reverendissimi domini legati nuntient et mandent sub censuris ecclesiasticis, quatenus exnunc in antea in omnibus et singulis metropolitanis, cathedralibus, collegiatis et parochialibus ecclesiis atque conventibus per totum dictum dominium constitutis qualibet septimana, videlicet in quarta feria cantetur missa pro dicti negotii fine felici et pro victoria adipiscenda. Sic tamen quod antea, quam missa huiusmodi incoetur, dicantur septem psalmi penitentiales cum litiâ genibus flexis distincte, humiliter et devote, et cum in litiis perventum fuerit ad illum versiculum: „ut cuncto populo christiano pacem et unitatem atque adversus paganorum feritatem victoriam largiri digneris, te rogamus audi nos.“ Quibus finitis conclusio fiat cum his tribus collectis videlicet: „Ineffabilem misericordiam tuam, Domine, nobis clementer ostende, ut simul nos et a peccatis omnibus exuas et a penis, quas pro his meremur, eripias. Adesto, Domine, supplicationibus nostris et viam famulorum tuorum in salutis tue prosperitate dispone, ut inter omnes vie et vite huiusmodi varietates tuo semper protegantur auxilio. Omnipotens et misericors Deus, qui subvenis in periculis et necessitatibus laborantibus, maiestatem tuam suppliciter exoramus, ut mittere digneris sanctum angelum tuum, quo famulos tuos in angustiis et necessitatibus laborantes consolationibus attollas, quibus et de presenti consequantur auxilium et eterna remedia comprehendant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.“

Fol. 21v.

Intra missam vero dicatur collecta: „Omnipotens, sempiternus Deus, in cuius manu etc.“ Finita missa statim dicatur psalmus: „Sepe expugnaverunt me a iuventute etc.“ cum Gloria patri et kiri eleison. Pater noster. Quo finito dicatur: „Dominus det nobis suam pacem.“ Salve Regina. Versus: „In

omni tribulatione et angustia nostra.“ Responsio: „Succurre nobis piissima Virgo Maria. Oremus. Ecclesie tue, quesumus Domine, preces placatus admitte etc.“

De confessoribus et absolutionibus.

Item, quod predicatorum prefati possint audire confessiones cruce-signatorum confiteri volentibus et confessionibus eorum diligenter auditis pro peccatis eorum et excessibus, nisi ita gravia fuerint, propter que sit sedes apostolica consulenda, et ipsis sic confessis absolutionis beneficium impendere ac penitentiam iniungere salutarem, nihil tamen a confitentibus ipsis, nisi quod illi pro cruciata dederint, accipere valeant sub excommunicationis et suspensionis penis, quas contrafacientes ipso facto incurrant.

Item similiter absolvere possint eos, qui unum vel plures miserint vel pecuniis pro mittendis contribuerint.

Item, si qui emiserint vota sedi apostolice non reservata extra urbem Venetiarum vel in urbe ubicunque, ea commutare possint, sic quod votis ipsis afflicti in propriis personis, si robur corporis et facultates assistant, debeant cum exercitu predicto contra Turchos transire aut expensas, quas recta estimatione eundo, stando et redeundo verisimiliter fecissent seu factum esset, pro alio vel pro aliis transeunte vel transeuntibus ad ipsum iuxta suam facultatem impendant.

Item, quod idem circa mulieres dictis votis forsitan astrictas, dum tamen iuxta suas facultates et discretionem predicatorum ipsorum per se tantum vel una cum alia seu aliis vel plures bellatorem vel bellatores ad premissum exercitum et contra dictos Turchos destinaverint, facere possint et valeant.

Item similiter possint et valeant iidem predicatorum procedere adversus omnes concubenarios, sacrilegos et malefactores, eos in pena pecuniaria in dictum usum convertenda condemnare ac etiam cum eis sic condemnatis componere.

Item, ne forte predicationis officium impediri possit, ad audiendum confessiones alios sacerdotes, quos probos et idoneos putaverint, eligere et deputare possint, qui eadem auctoritate absolvant.

Item omnes et singulos, qui habuerint casus sedi apostolice reservatos, remittant ad nos, qui iuxta eundem modum salutem animarum suarum consulemus.

Item, si qui vota etiam sedi apostolice reservata emiserint, similiter ad nos remittantur, et facta debita satisfactione commutabimus.

fol. 22. Item possint et valeant iidem predicatorum extra urbem Venetiarum ubilibet in dicto dominio preterquam in locis propinquis ad 30 miliaria residentie domini reverendissimi legati cum usurariis componere et contra eos, nisi componere voluerint, auctoritate apostolica procedere pecuniasque in eundem

usum convertere. Qui vero propinqui erunt ad 30 miliaria ad reverendissimum dominum legatum remittantur.

Item relicta ad pios usus in locis predictis per 30 miliaria a residentia reverendissimi domini legati distantibus possint in pium hoc opus convertere, reliquos ad prefatum dominum legatum remittere.

Item cum his, qui aliquam irregularitatem minorem miscendo se divinis contraxerint, sub eadem forma in favorem cruciate valeant dispensare auctoritate apostolica.

Item omnibus et quibuscunque clericis et beneficiatis curatis et non curatis volentibus suscipere crucem et ire personaliter, cum effectu possint eadem auctoritate prestare licentiam percipiendi fructus suos in absentia, proviso tamen, ne ecclesie propterea debitis fraudentur obsequiis, sed per alium divinus cultus et cura debita in eis servetur.

De modo absolvendi.

Item modus absolvendi dictos confitentes sit iste :

„Dominus noster Iesus Christus pro salute generis humani crucifixus dignetur te absolvere et ego auctoritate eiusdem Domini nostri Iesu Christi, beatorum Petri et Pauli apostolorum et sanctissimi in Christo patris et domini nostri Pii divina providentia pape II. in hac parte mihi concessa absolvo te ab omnibus et singulis excommunicationis maioris vel minoris, suspensionis et interdicti sententiis atque penis, in quibus legatus es et necesse fuerit, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. — Eadem auctoritate absolvo te ab omnibus et singulis peccatis tuis, de quibus mihi confessus es et libenter velles confiteri, si memorie tue occurrerent, et restituo te communioni fidelium et sancte matris ecclesie sacramentis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. — Item, quod signum sancte crucis pro expugnatione Turchorum ad divini nominis gloriam et honorem, ecclesie sue sancte reverentiam, orthodoxe et catholice fidei defensionem ac christifidelium pacem et salutem procurandam humiliter et devote suscepisti, dum tamen in exercitu christifidelium contra ipsos Turchos congregando personaliter et propriis expensis vel aliter interfueris et ad huiusmodi expeditionem cum aliis processeris seu, ut eidem exercitui interesses, cum intentione contra dictos Turchos procedendi iter et sine fraude arripueris et forte Dei nutu in itinere constitutus carnis debitum persolveris, auctoritate predicta plenam peccatorum tuorum, de quibus corde contritus et ore confessus es, veniam et indulgentiam impartior ac in retributione iustorum salutis eterne polliceor augmentum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.“

Item pro illis, qui non vadunt in propriis personis : „Item tibi, qui pro expugnatione Turchorum ad divini nominis gloriam et ecclesie sacrosancte reverentiam, orthodoxe et catholice fidei defensionem ac fidelium salutem et pacem procurandam

bellatorem vel bellatores tuis expensis destinasti, auctoritate predicta plenam peccatorum tuorum, de quibus corde contritus es et ore confessus es, veniam et indulgentiam impartior ac in retributione iustorum salutis eterne polliceor augmentum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.“

fol. 22v. Item volumus, quod iidem predicatorum publicent et denuncient, omnium et quorumcunque sacerdotum religiosorum et secularium, quibus a sede apostolica quomodolibet indultum sit, ut in casibus sedi apostolice reservatis unum vel plures possint absolvere ac cum eis quomodolibet dispensare, auctoritatem talem durante huiusmodi cruciata esse suspensam.

De his, qui sunt incapaces indulgentiarum, (qui) absolvi non possunt.

Item predicent et denuntient, quod persone infrascripte omnino dictarum indulgentiarum incapaces sunt et tanquam excommunicati anathematizati absolvi non possunt, videlicet omnes persone, que aliquam a sede apostolica approbatam regulam expresse vel tacite professe sunt et extra illam vivunt in apostasia manentes. Illi enim, quamdiu in obstinatione permanserint, incapaces sunt gratie Dei.

Item omnes fraudantes decimam pro tam sancto negotio impositam et eam integre non persolventes. Similiter etiam solvere recusantes cuiuscunque sexus, conditionis, honoris et preeminentie fuerint.

Item omnes, qui arma aut aliquod genus machine ad Turchos vel eorum complices portaverint.

Item omnes, qui crucesignatos quoquomodo impedire vel molestare presumpserint aut eos vi vel persuasionibus a tam sancto proposito revocaverint.

Item omnes simoniaci, cum sint odibiles Deo.

Item omnes apostolice sedi et summo pontifici inobedientes.

Item omnes violatores ecclesiarum. Item omnes usurarii non restituentes vel componentes.

Item omnes, qui incendia in christianos commiserint. Item occupatores et detemptores alienorum bonorum. Item omnes et quicunque publice peccatores et peccatrices, quamdiu in publicis peccatis permanserint, sint huiusmodi gratie incapaces.

Item predicent ac denuntient predicatorum, quod quicumque ex supradictis incapacibus se reducere et vitam ad meliorem frugem mutare voluerint ad predictam sanctam expeditionem conferant, caventes, ne ipsis ut fatuis virginibus post clausam portam tante gratie dici contingat per Christum Salvatorem nostrum: „Amen, dico vobis, nescio vos“, quo nihil eis horribilius accidere posset.

Ut autem predicatorum ipsi, quousque in predicationibus huiusmodi occupati fuerint, et tam in eundo quam in redeundo necessarium victum habere possint et valeant, statuit idem reverendissimus dominus legatus, ut quilibet ex predicatoribus

predictis possit ex elemosinis sive ex pecuniis, que ex huiusmodi predicationibus pro cruciata colligentur, accipere singulis mensibus ducatos quinque et non plus pro suo et socii sui victu necessario et tam in stando quam in eundo et redeundo. Datum Venetiis die primo mensis septembris 1463.

fol. 23. Forma litterarum dandarum cruce signatis euntibus vel mittentibus:

„Frater Alexander de Fano ordinis minorum in civitate Brixie etc. humilis predicator a sede apostolica deputatus dilecto in Christo nobili viro Antonio etc. salutem in eo, qui pro salute nostra voluit crucifigi.

Quoniam tu zelo fidei et devotionis accensus signo vivifice crucis assumpto in subsidium christiane fidei adversus Turchos propriis sumptibus decreveris proficisci, idcirco auctoritate sedis apostolice, qua specialiter fungor in hac parte, te ac familiam et bona tua sub eiusdem sedis per totum id tempus, quo in itinere vel expeditione contra Turchum fueris, protectione suscipiens, tibi id, quod offers, adimplenti plenariam omnium peccatorum tuorum remissionem et indulgentiam, qualis in anno iubilæi limina sanctorum apostolorum de urbe vel terram sanctam visitantibus dari consuevit, tenore presentium apostolica auctoritate concedo. In quorum fidem etc...“

Pro his qui non sumunt crucem et vadunt:

„... Cum tu zelo fidei et devotionis accensus in subsidium christiane fidei adversus Turchos etc...“

Pro his qui non vadunt, sed mittunt:

„... Cum tu zelo fidei etc. in subsidium christiane fidei adversus Turchos unum bellatorem vel duos aut plures propriis sumptibus mittere decreveris, idcirco auctoritate sedis apostolice, qua specialiter fungor in hac parte, te ac familias et bona tua quam illorum sub eiusdem sedis per totum id tempus, quo in itinere vel expeditione contra Turchos fuerint, protectione suscipiens, tibi id, quod offers, adimplenti ac illi sic eunti vel illis sic euntibus etc. plenariam etc...“

Suprascripta instructio data est magistro Alexandro de Fano, predicaturo in civitate Brissie, hisdem verbis et sententiis ad litteram.

Eadem instructio sive eadem capitula de verbo ad verbum scripta data sunt magistro Honufrio de Sulmone, predicaturo Padue et eius comitatu seu diocesi.

Eadem data est fratri Paulo de Velletri eiusdem ordinis, in sacra theologia licentiato, predicatori in omnibus civitatibus et locis ultra flumen Talgiamenti.

Eadem instructio data est fratri Ludovico Mauro, predicatori in Creta de verbo ad verbum.

Eadem instructio data est magistro Iannetto Veneto hisdem verbis et sententiis, predicatori cruciate Utini et in suo districtu.

Eadem data est magistro Dominico de Imola ordinis sancti Dominici, predicaturo in civitate Tervisii et eius comitatu.

Eadem data est magistro Stephano de Taranto ordinis predicatorum, predicaturo in civitate Veronensi et in suo districtu.

Eadem data est magistro Iacobo Mantuano ordinis heremitarum Sancti Augustini, predicatori Ravenne et eius districtu.

Eadem data est fratri Seraphino Mediolanensi ordinis minorum de observantia, predicatori Bergami et eius districtu.

Eadem data est fratri Ioanni de Brixia de Vulterris ordinis predicatorum de observantia, predicatori Creme etc.